

Joannis epistolas, secundam, & tertiam, idem Dionysius Evangelistæ Joannis esse negavit. *Quin etiam, inquit, neq; epistolæ secundæ, & tertiæ, quæ dicuntur esse Joannis, licet per breves sint, Joannes nominatim præponitur: sed Presbyter inscribitur vacans nomine.* Ictas namque epistolas, ac illas Jacobi, & Judæ, ac pariter Petri secundam, dubias apud antiquos fuisse, testatur Eusebius. (a) Ex illis, ” inquit, quæ in dubitationem quidem vocantur, sunt tamen à plerisque recepta, est epistola, quæ Jacobi dicitur, & Judæ: & secunda Petri: & secunda, & tertia, quæ Joannis nomine inscribuntur, sive illa ab Evangelista, sive ab quopiam eodem nomine appellato perscriptæ sunt. . . . Porro epistola nomine Barnabæ edita, & quæ dicitur doctrina Apostolorum: adde his, si videtur, Joannis, ut dixi, Apocalypsin, quam nonnulli, ut docui, penitus antiquare contenderunt; alii tamen eam in scripturis maximè approbatis collacandam judicant. ”

Nihil ergo aliquandò inferri poterit contra Apostolicos canones, ex eo quia non antè sextum sæculum inter ecclesiasticas regulas à patribus redactos non legit Adversarius, quod non inferatur contra eorundem Apostolorum opera recensita, quæ Concilium Carthaginense tertium, quarto sæculo jam jam ad occasum cadente celebratum, anno nempe Christi 397; canonica esse, canone 47; his

ver-

a Eusl. 3. c. 19.